

octavae horae surgendum est; quantum autem minores sunt noctes, tantum prope finem ipsius horae debet signum tangi. *Ora* finium per *o*, *hora* dierum per *h* scribendum est.

Cap. IX.

QUANTI PSALMI DICENDI SUNT NOCTURNIS HORIS.

In ista clavi melius est dicere *quot*, quam *quanti*.

Hiemis tempore praemisso imprimis versu: »Deus in adiutorium meum intende«, in secundo tertio dicendum est: »Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam.« Ideo tertio, propter reverentiam sanctae Trinitatis, et quia triplex funiculus vix rumpitur. Quare dicit hic homo supplicans Deo: *Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam, cum in alio psalmo dicat Deus homini: Aperi os tuum, et ego adimplebo illud?* Sed per hoc, ubi dicit Deus homini. *Aperi os tuum*, manifestatur, liberum arbitrium datum homini esse, quatenus per se potuisset homo agere bonum, si voluisset. Et in hoc loco, ubi dicit homo Deo: *Domine, labia mea aperies*, manifestat, infirmatum esse ipsum liberum arbitrium, ita ut etiam homo per ipsum arbitrium liberum nil boni possit agere per se, nisi Domini misericordia praeveniendo et subsequendo eum adjuverit. Et bene dicit *Domine labia mea aperies*, ac si diceret: *Domine, tu aperi*, quia si tu aperueris labia mea, os meum laudem tuam pronuntiabit; nam si ego aperuero os meum, laudem tuam non annuntiabit.

Sequitur: *cui subjungendus est tertius psalmus*. Ideo tertius psalmus, quia de soinni surrectione dicit.

Sequitur: *post nunc psalmus nonagesimus quartus*. Ideo psalmus nonagesimus quartus propter invitationem aliorum; nam ipse psalmus invitatorius dicitur, eo quod invitat ad ecclesiam venire. Nam quia consuetudo est sanctae Romanae ecclesiae, ideo illum B. Benedictus canere jussit. Duodecim psalmos canendi ab angelo tradita consuetudo obtinuit; nam [sicut] narrat Cassianus, quia tunc tempore Patrum Aegypti varie psalmi ad vigiliis canebantur, et erat super hac consuetudine magna varietas (alii enim canebant quin-